

Quo crucis almissum meruit cognoscere signum,
 In quo percepit, cur sic animalia fixa,
 Sistant, quidve ferat, vel talis fixio poscat.
 Tunc circumspiciens, et plurima mente revolvens,
 Advocat agricolam sibi, quem prope cernit arantem
 De cujus stimulo, signo crucis effigiato,
 Reliquis positis infixit humo, atque recessit.
 At sacer ille locus, *Audoeni Crux* vocitatur,
 In quo mirantur virtutes, atque patrantur,
 Præcipue primum, quo contigit esse sacram.
 Non postquam geminis mundum nox vestit alis,
 Multi flammivoniam subito videre columnam;

A Quæ fulgore sui superabat lumina Phœbi.
 O Domini pietas, Domini miranda potestas!
 Quam bene sublimat, vel quæ disponit, opimat!
 Namque locus pridem non cultus, visitur idem,
 Atque frequentatur, colitur, Dominoque sacratur,
 In quo leprosis curatio, lumen et orbis,
 Surdis ac mutis reparantur dona salutis.
 Tunc ibi salvificæ crucis, atque Dei sub honore,
 Et patris Audoeni, vitæ meritis reverendi,
 Fundatur templum Leutfredi rebus adauctam:
 In quo sanctorum disponitur ordo virorum,
 Et Regi regum famulantur nunc et in ævum.

ANNO DOMINI MXC.

GUIDO ABBAS FARFENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(FABRIC. *Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis*, III, 130.)

Circa annum 1093 vixit Guido monachus atque inde post Hugonem abbas Farfensis cœnobii beate Virginis in agro Acutiano in Sabinis, in ducatu Spoletino ordinis Benedicti, cui libri duo *De usu et ordine ad ornandam Ecclesiam catholicam, nec non ad conservandam regularis tramitis normam in cœnobio Farfensi* ex duobus mss. Vaticano et monasterii S. Pauli Romæ, editi sunt in *Benedictorum e congregatione S. Blasii in Silva-Nigra, præclara Sylloge veterum monumentorum* cui titulus: *Vetus disciplina monastica*. Paris. 1726. 4°, pag. 57-132.

GUIDONIS DISCIPLINA FARFENSIS

ET

MONASTERII S. PAULI ROMÆ.

MONITUM.

Farfense monasterium in Sabinis in ducatu Spoletano, a monacho Acutianum dictum, agente Hugone abbate sub finem x sæculi Cluniacensium consuetudines recepit. Cujus rei seriem descriptam habes *Annalium Bened.* tom. IV, pag. 120 et 206. Hæc vero consuetudines, etsi cum editis Udalrici libris apud Dacherium *Spicil.* tom. I novæ editionis in nonnullis consentiant, multa tamen continent quæ apud eundem auctorem desiderantur, et singulari observatione digna sunt. In priori libro divina ordinantur officia: in posteriori regularis disciplina explicatur. In iis Concordiæ regularum et traditionis Hildemari mentio fit. Propterea quod Cluniacensium usus ex Capitulis sancti Benedicti Anianensis, qui Concordiam illam edidit, desumpti sunt. Describitur Farfensis monasterii structura, agitur de mensura vestimentorum, professione monastica, abbatis benedictione, oblatione puerorum, atque de aliis rebus scita dignissimis. Eadem porro consuetudines ab Odone Cluniacensi in monasterium Sancti Pauli Romæ illatæ, et post eum jussu Agapiti PP. a monachis Gorziensibus ibidem firmatæ fuerunt. Asservantur hodieque dictæ consuetudines in veteri codice monasterii Sancti Pauli in Urbe, et in alio ms. codice olim Farfensi, nunc Vaticano, sub hoc titulo: *Incipit perfectus usus sive ordo ad ornandam Ecclesiam catholicam, nec non ad conservandam regularis tramitis normam in cœnobio beate Mariæ semper virginis in agro Acutiano comptus*. Ex quibus duobus mss. Joan. Mabillon. exemplum describi curavit, quod vir humanissimus D. Vincentius Thuillierus et ejusdem musæo mihi concessit. Cæterum etsi consuetudines istæ a Cluniacensibus sumptæ sint, prim